



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Angela De Fvlginio, In Qvo Ostenditur Nobis vera via qua
possumus sequi vestigia nostri Redemptoris**

Angela <de Fulginio>

Parisiis, 1598

c. 43. De 7. consolatione & visione sanctissimi Sacramenti, in qua vidit
qualiter vbicumque est Deus, illic sunt & electi eius.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43716

ratus, quod est ineffabile, & fuit tantæ lætitiæ visio eius, quod eam non credo perdere in æternum: & fuit tantæ certitudinis, quod non dubito aliquo modo, quin fuerit in veritate. Tanta autem fuit delectatio in visione eius, quod non dixi quod adiuuaret me, & nihil dixi, nec bonum, nec malum. Sed tantum delectata fui illam pulchritudinem videndo: quod nihil sciui quid diceré.

Quadragesimum tertium capitulum.

De septima consolatione & visione sanctissimi Sacramenti, in qua vidit qualiter vbicumque Deus est, illic sunt & electi eius.

ITEM alia vice dum dicebatur missa eleuata in spiritu quæsiui à Domino dicens, ecce Domine tu es in isto Sacramento altaris: dic mihi Domine vbi sunt fideles tui? Et aperiens mihi intellectum: respondit & dixit, vbi sum ego; sunt fideles.

*Vbi Chri-
stus, &
sui fide-
les sunt.*

mei mecum. Tunc ego ipsa vi-
debam ita esse, & clarissimè in-
tuebar me, vbi cumq; ipse esset,
sed illud esse, non est esse in Deo
intus, sed est illud quod est esse
foris: & ipse est solus ille, qui est
vbique comprehendens omnia.
Vidi autem corpus Iesu Christi
frequenter sub diuersis formis
in isto benedicto Sacramento.
In isto enim Sacramento vidi a-
liquādo guttur Christi cum tan-
to splendore, & cum tanta pul-
chritudine, quod splendor qui
emanabat, est plus quā sit splen-
dor solis, & ex illa tanta pulchri-
tudine datur mihi intelligi certi-
tudinaliter, quod ibi est Deus,
incomparabiliter enim est maior
pulchritudo, quā sit pulchritu-
do solis, & multo maior, & ma-
gnam pœnam habeo quod non
possum manifestare. Vidi etiam
aliquando in hostia duos ocu-
los splendidissimos, ita grossos
quod de hostia non videbatur
remanere nisi solummodo ora.

Videndo autem ista reficior tantis lætitiis, quod vnā alteri nescio comparare, sed quælibet est ita magna quod non videtur mihi quod possim perdere deinceps.

Quadragesimum quartum capitulum.

Qualiter hæc sancta eleuata in spiritu vidit gloriosam virginem dominam nostram pro humano genere deprecantem.

ELEVATA fui quadam vice, & non eram in oratione tunc, sed posueram me ad pausandum, quia erat post comestionem. Vnde nec de hoc cogitabam, sed subito eleuata est anima mea, & videbam beatam virginem in gloria, & intelligens vnā mulierem positam in tanta nobilitate, & gloria, & dignitate sicut stabat, delectabar miro modo, nam videre ipsam erat ineffabilis lætitia. Stabat enim beata virgo Maria rogans pro

Maria orat pro genere humano.